

The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

Meritum e cum fonte primo

Non est magni meriti, si quid foris
erga nos agatur in corpore, sed
magno pensandum est quid agatur
in mente. Nam presentem mundum
despicere, transitoria non amare, mentem
medullitus in humilitate Deo et
proximis sternere, contra illatas
contumelias pacienciam seruare, et
custodita paciencia dolorem malicie a
corde repellere, egenis propria tribuere,
aliena minime ambire, amicum in
Deo diligere, propter Deum
et eos qui sunt inimici amare,
de afflictione proximi lugere,
de morte inimici non
exultare, hic est noua creatura.

Gregorius omelia X.

Non enim magni est meriti, si quid foris
erga nos agatur in corpore, sed
magnopere pensandum est quid agatur
in mente. Nam praesentem mundum
despicere, transitoria non amare, mentem
medullitus in humilitate Deo et
proximo sternere, contra illatas
contumelias patientiam seruare, et,
custodita patientia, dolorem malitiae a
corde repellere, egenis propria tribuere,
aliena minime ambire, amicum in
Deo diligere, propter Deum
et eos qui inimici sunt amare,
de afflictione proximi lugere,
de morte eius qui inimicus est non
exultare, haec est noua creatura,
quam idem magister gentium apud alios
discipulos uigilanti oculo requirit,
dicens: *Si qua igitur in Christo noua
creatura, uetera transierunt, ecce facta
sunt omnia noua.*

Gregorius Magnus, *Homeliae in
Hiezechielem prophetam*, 1, 10, 8-9
(CCSL 142, M. Adriaen ed., p.148,
ll.133-146).